
Gdowski Sigismundi: Theoremata theologica de scientia Dei.

Gdowski Sigismundus

THEOREMATA THEOLOGICA, DE SCIENTIA DEI.

Ex prima parte Angelici Doctoris deprompta.





CRACOVIÆ,

Anno Domini, M. DC. XXI.

IN STEMMA.



PUrpurea inuestit quod terna cacumina luce
Stella, poloq; nitens inserit vsq; caput.
Vadoui ille vigor tuus hoc scintillat Eoo
Fax mentis lucem proiicit inde suam
Donec erunt cæli conuexa, & Stelliffer æther
Splendeat in tantos hæc tua stella dies.

Admodnm R̄do Dño.

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO,

S. T. Doctori ac Professori, Ecclesiæ S. Floriani Præposito &c. Facultatis Theologicæ in Alma Crac. Vniuersitate Decano, Dño. Fautori, ac Præceptori summè colendo.

Fr: Sigismundus Gdowski Carmelita, S. Th: Licentiatus ac Professor, Conuentus Crac: Regens.

VNICVM ACVERE SVPREMVM HVMANÆ mentis bonum in contemplatione diuinæ Maiestatis insistere; hac enim sola via, carcere corporis inclusa, ad perfectionem propriam accedit, & quasi velox accipiter recto tramite, sursum euolat, cæteræ autem omnes vt fluxæ & caducæ, obliquo cursu feruntur occupationes. Verum cum sint inperscrutabiles viæ Altißimi, iudicia abyßus multa: humana mens, vt noctuæ oculus ad radios solis expositus cæcutit. Deus quod sit inuisibilis sensus eum non percipit: quod ineffabilis, lingua non enarrat quod incircumscriptibilis, locus non capit: quod immensurabilis tempus non metitur: quod inaccesibilis, virtus non attingit: quod incomparabilis & insuperabilis, desideria, & vota transgreditur. Dicendum cum Iob; Nunquid in sapientia plumescit homo? & sentiendum cum Serapide Dea, quæ a Nicreonte Tyrrano Cypriorum rogata, respondit. Illum pro maximo Deo habendum cuius

caput cælum eßet, venter, maria, pedes terra, aures in ipso æthere locarentur, oculi præfulgentis lumen solis: breuiter autem concludendo omnis creatura ad Deum comparata defectum habet: finiti enī ad infinitū nulla proportio: ipse solus seipsum cōprehendit. Quomodo igitur mortalis homo ad cognitionē tātæ Maiestatis, cum tam immensū chaos superans omnem conceptum existat peruenire potest? dicerem; & fateor, ex mirabili operatione: Aristoteles a posteriori aßerens insurget. Quærere volo, & inueniam fideliorem magistrum, supremum preceptorem Saluatorem meum Iesum Christum, solidam petram, dulces fontes disciplinæ producentem, qui sacro ore nos instruendo sic protulit. Non vultis credere mihi, credite operibus quæ ego facio: Hæc sunt salutaria, vera immediata precepta, quæ nos manu ducunt in cælum, st es nostras recreant, vota & desideria excitando saciant.

His ego inflam̄atus, animum iuxta Patronum habens alatum, vocationi ac vacationi intentus, ex abundantißimo Theologicæ veritatis penu theorema de scientia Dei deprompsi. Quod cum sit arduum potente indigeo (imbecillus ego) protectore. Multi dicent editioni aduersantes: Nunquid ordinem nosti cæli & pones rationes eius in terra: plurimi propositam impugnabunt thesim, & si non expugnauerint saltem conuellere studebunt. Te itaque cuius singularem humanitatem semper agnoui: Admodum Reuerende Domine. summum doctrina, maximum iudicio pollentem eruditione, qui & diuina tractare, illa intelligere atque tueri nosti, in Patronum eligo. Mystes Mystæ Sacra fero & adscribo. Tu vero meum munusculum, debitū virtuti tuæ, animi obligati pro beneficiis testem, ob sidem perpetuæ gratitudinis sereno animo dignare, audenter sub tuis fælicibus auspiciis descendo adeßc modo velis benignus fautor. Vale viue & effloresce.

THEOREMATA THEOLOGICA.

De Diuinâ Scientiâ

I. DIVINA Scientiâ vna, & simplicissima in se, per habitudinem tamen ad diuersa obiecta diuidi solet: primo in simplicis intelligētiæ & visionis. Per Scientiam Visionis cognoscuntur à DEO quæcunq; existunt in aliqua temporis differentia. Per Scientiam autem simplicis intelligentiæ cognoscuntur, quæcunq; possunt esse virtute Dei aut Creaturæ.

II. Hæc bimembris Diuisio ita est adæquata, vt nulla Scientia deturquæ propriè non sit simplicis intelligētiæ aut visionis, vnde nullum prorsus est obiectum intelligibile, quod non propriјsimè sub aliqua ex his duabus Scientijs comprehendatur, cum nullum sit tale obiectum, de quo alterutra ratio contradictoria asignata propriè non dicatur.

III. Omnia obiecta increata quæ sunt Formaliter in DEO, pertinent ad Scientiam visionis, & nullo modo ad Scientiam simplicis Intelligentiæ, cum omnia illa in suo conceptu & propria ratione Constitutiua includāt actualem existentiam. Cognitio autem omnium futurorum sub Conditione quæ re ipsa futura non sunt, essent tamen futura, si certæ Conditiones ponerentur, non

pertinet ad aliquam Scientiam mediam inter ſimplicis intelligentiæ & Viſionis, ſed ad ſimplicis intelligentiæ.

IV. Certum mihi eſt ex Fide DEVM cognoſcere multa futura contingentia Conditionata, quæ re ipſa non ſunt futura, eſſent tamen futura, ſi certę Conditiones antecedentes & idoneæ ad ipſorum exiſtentiam ponerentur. Horum autem Cognitio ſiue illa neceſſaria ſint, ſiue libra, pertinet ad Scientiam ſimplicis intelligentiæ, non autem ad aliquam Scientiam mediam.

V. Diuiditur deinde Scientia DEI per Comparationem ad Obiecta, innaturalem, & liberam, ſeu in neceſariam & non neceſſariam: quam diuiſionem quamuis antiqui Theologi non tàm frequenter vſurpauerint, quàm præcedentem, eſt tamen valde vtilis ad intelligendum qua ratione Scientia DEI ſit cauſa rerum.

VI. Quamuis etiam innumeri ex Theologis recentioribus, membra huius Diuiſionis confundant cum mēbris præcedentis, nos tamen illa non confundimus: nam Scientia illa qua DEVS ſeipſum cognoſcit propriſsimè eſt Scientia viſionis, non minus quam viſio Creaturarum exiſtentium, quæ tamen eſt omnino neceſſaria & naturalis, & hinc conſtat Scientiam viſionis ex parte rerum exiſtentium latius patere quam Scientiam liberam.

VII. Ratio itaq; Scientiæ Viſionis ſumenda eſt ex èxiſtentia obiecti, ratio vero Scientiæ liberæ ex hoc, quod obiectum poſsit non eſſe, aut aliter ſe habere in ratione veri, aut obiecti, quæ duæ rationes multum inter ſe differunt. Sunt quoq; aliqua futura cōtingentia Cōditionata, quæ habent veritatem ex libero & æterno DEI Decreto, quo decreuit illa fore ſi certæ Conditiones ponerentur.

VIII. Et huiusmodi est illud 4. Regum 13. de Syria delenda à Rege Ioas si iaculo quinquies ad Orientem percussisset, quorum futurorum Scientia proculdubio comparatione Obiecti est libera, nihilominus huiusmodi Scientia pertinet ad simplicem intelligentiam. Quæ Diuisio est etiam adæquata, ita vt nulla detur Scientia media inter Naturalem & liberum.

IX. Si autem quæratur adquodnã huius Diuisionis membrũ pertineant futura Cõditionata reispa non futura. Respondem⁹ cũ Distinctione, illa enim quæ veritatẽ habent, ex Decreto DEI libero Conditionato ex parte Obiecti, quo decreuit vt essent, si tales Conditiones ponerentur, pertinent ad Scientiam liberam ex parte Obiecti, cum sit Circa Obiectum omnino liberum.

X. Illa deinde quæ dicuntur Futurà sub Conditionibus, quę non possunt poni in esse, quin ponatur etiam, quod sub talibus conditionibus dicitur futurum, pertinent ad Scientiam Naturalem & Necessariam. Illa deniq; quæ talia sunt sub cõditionibus, quæ spectata earũ natura possunt poni in esse sine re quæ dicitur sub conditione futura, pertinent ad Scientiam Dei liberam ex parte obiecti.

XI. Ex sententia Sanctorum Patrum & S. Tho. Scientia Dei est causa rerum, & practica, non ea ratione qua terminatur ad futurum, atq; adeò vt est visionis & libera, sed potius quatenus est cognitio rerum factibilium vt factibiles sunt, pertinetq; ad simplicem intelligentiam. Vnde hæc causalis; (ideo aliquid fututum est quia scit Deus esse futurum) accepta secundum causam essendi falsa est, quamuis vera sit secundum sensum consequentiæ & illationis.

XII. Scientia simplicis intelligentiæ in Deo est simul speculatiua & practica; speculatiua quidem quatenus contem-

contemplatur quidditates & proprietates omnium rerum poſsibilium. Practica verò, primo per modum prudentiæ reſpectu actuum liberorum Diuinæ voluntatis: Secundo per modum artis reſpectu productionis creaturarum ad extra, quam ob cauſam in ſcriptura non ſolum Deus, ſed etiam eius Scientia dicitur rerum artifex.

XIII. Abſolutè & abſq; limitatione aut explicatione dici non poteſt, DEVM aliquid ſcire, quia illud futurum eſt, ſed potiùs dicendum eſt, ideo Scientiam Diuinam terminari ad res futuras, quia illæ futuræ ſunt: vnde ſi in propoſitione illa, (Ideo DEVS ſcit aliquid futurum eſſe, quia illud futurum eſt) aliquid addatur, quo ſignificetur cauſalitatem ſolum referri ad terminationem. Propoſitio illa erit vera, abſolutè tamen prolata, quicquid alij recentiores dicant vera non eſt.

XIIII. Ex fide certum eſt futura contingentia cognſoci à DEO priuſquam fiant, negari enim non poteſt competere ipſis aliquam veritatem, & cognoſcibitatem, quatenus futura ſunt, qua certò & determinatè cognoſci poſsint, nempè eam quæ ipſis competit, non ſecundum eſſe quod habeāt in cauſis ſed ſecundum rationem euentus ſequentis: nam ſicut rectè dicimus aliquid fuiſſe, quia aliquando fuit præſens, pari modo negari non poteſt, verè nos dicere, antequam aliquid ſit, quod ipſum futurum eſt, quia aliquando erit præſens.

XV. Certum quoq; eſt res omnes creatas, aliquādo eſſe præſentes Diuinę Aeternitati, Aeternitas enim DEI cum ſit tota ſimul, omne tempus, & durationem amplectitur: vnde neceſſario eſt quandocunq; quodlibet Creatum exiſtit: ſaltem ergo tunc quodlibet Creatum eſt præſens & coexiſtens æternitati, quādo exiſtit in propriâ durati-

duratione, quia Aeternitas eſt indiuiſibilis tota ſimul, & ſine partibus Prioribus & Poſteribus, vnde quicquid eſt illi præſens Toti eſt pręſens, quamuis inadæquatè.

XVI. Cognitio Dei cũ ab Aeterno feratur in omne intelligibile, fertur etiã ab Aeterno, in omnia quæ geruntur in tempore, attingendo eorum non ſolum quidditates, ſed etiam præſentiam illam realem, qua cum exiſtunt in illâ ſuâ duratione, ſunt realiter præſentes Diuinæ Aeternitati, cum enim vt ſic ſint Obiecta intelligibilia attinguntur ab Aeterno à DEO, & hoc eſt illa eſſe ab Aeterno præſentia DEO Obiectiuè, quantum ad præſentiam realem, qua aliquando ſunt pręſentes Aeternitati.

XVII. Res ergo quæ geruntur in tempore, non fuerunt DEO præſentes realiter, ſed ſolùm obiectiuè, ita tamen vt cognitioni DEI ab Aeterno non ſolùm obijcerentur rationes quidditatiuè earum, ſed etiam illa ipſa temporalis illarum præſentialitas, qua cum exiſtent in ſua duratione, ſunt realiter præſentes & coexiſtentes ſuę æternitati, de illaq; habuerit DEVS ab Aeterno cognitionem intuitiuam.

XVIII. Sed tunc ſolùm quando exiſtunt in ſuâ duratione, ſunt realiter præſentes, & coexiſtentes Diuinę Aeternitati, antea verò ſolùm erant præſentes obiectiuè, non ſolùm ſecundum cognitionem ſimplicis intelligentiæ, qua rationes quidditatiuè earum ſunt ipſi præſentes ab Aeterno, ſed etiam ſecundum cognitionem intuitiuam & viſionis, qua illa præſentialitas temporalis, per quam res dum ſunt in ſua duratione, ſunt præſentes realiter Diuinæ Aeternitati, fuit ab Aeterno Obiectum Diuinæ cognitionis, non minus clarè ac diſtinctè, quàm cum exiſtunt in ſuâ duratione.

XIX. Idææ non possunt esse ratio Obiectiua in qua DEVS cognoscat futura contingentia, neq; cognoscuntur á DEO in sola suę scientiæ perfectione, antecedenter ad decretum, vt falsò aliqui autumant.

XX. Non potest concedi ab Aeterno in DEO prędefinitio efficax nostrorum actuum liberorum, ante visionem absolutam nostrę determinationis, nisi concedamus esse in DEO prius ratione scientĩam conditionatã, qua cognoscat certò quid effectura sit voluntas Creata, ex Hyppothesi quod ponatur in tali statu occasione, circũstantijs, & sic & sic excitetur, aliter huiusmodi prædefinitio efficax Dei, destrueret Libertatem nostram.

XXI. Hac Scientia in DEO præsupposita, nullum sequitur prȩiudicium nostri vsus liberi, ex eo quod DEVS prędefiniat actus nostros in particulari, ante Scientiam visionis determinationes nostrę, imó valdè consonum est perfectissimæ prouidentiæ DEI, scripturæ & Sanctis, concedere DEVM Aeterno suo decreto, prædefiniuisse in Indiuiduo & in Particulari actiones nostras Liberas bonas, quas in tempore facimus, & maximè supernaturales, ante Scientiam Visionis nostræ determinationis ad eas.

XXII. DEVS in suis decretis prædefinitiuis actuum nostrorum, potest quidem & de facto aliquos ex nostris actibus facturos contingentes cognoscere, & aliquos non cognoscere. Decretum tamen Aeternum concurendi ad actus nostros liberos, non est sufficiens ratio, ad huiusmodi nostros liberos actus futuros contingentes cognoscendos: voluntas etiam permittendi peccatum, non potest esse ratio sufficiens, vt DEVS peccatum futurum cognoscat.

XXIII.

XXIII. Nulla ratione admittenda est prædeterminatio Phisica inhærens, qua voluntas à Deo ad actus naturales prædeterminetur, proinde DEVS non cognoscit futura contingentia, certò & determinatè in proximis eorum causis, sed potiùs illa cognoscit in seipsis, attingendo simplici intuitu eorum veritatem & realitatem, quam suo tempore habebunt. De fide etiam est, Diuinam præscientiã futurorum contingentium, neq; auferre, aut immutare, ipsorum contingentiam.

XXIIII. Ratio obquam Scientia Visionis DEI circa futura contingentia non obstante eorum contingentia sit Certissima est, quia fertur ad illa, in quantũ sunt in seipsis, & in quantũ iam habent illam necessitatem cõsequentem, qua omne quod est, dum est, necesse est esse, licet per compartionem ad causam possint esse, & nõ esse.

XXV. Multa sunt contingentia Conditionata, quę reipsa futura essent, si certæ quædam Conditiones ad eorum existentiam ponerentur, quæ omnia certò & manifestè à DEO ab Aeterno cognoscuntur, secundum determinatam rationem futuri sub conditione: imò cum multa eorum reipsa habeant rationem futuri condidionati, ante omne absolutum decretum DEI, de illis est certa Scientia in DEO ante omne huiusmodi Decretum: cognoscuntur autem hæc conditionata non in Causis, nec alibi, qnàm in ipsâ earum veritate Obiectiuâ, quæ est in eis, & in Propositionibus Conditionalibus de ipsis, ante omne DEI Decretum.

Disputabuntur CRACOVIÆ in ECCLESIA

Anno Dñi 1620.

Mense die Hora

